…terina

Piskorski Seb

Cracov. gen. stud. Univ: Exequiae solennes piis manibus D. s. R. J. Principis Catharinae Radiviliae —

EXEQVIÆ SOLENNES, PIIS MANIBVS, D. Dominus S.R.I. PRINCIPIS CATHARINÆ RADIVILIÆ, IN NIESWIEZ & OŁYKA DVCIS, &c. &c.

DEBITÆ PIETATIS AFFECTU,

A

Generali Studio Almæ Vniversitatis Cracoviensis,

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ,

PERSOLVTÆ.

Anno Domini M. DC.XCIV. Die x. Novembr.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

Laudētur Proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruêre bonis: falsóq; potentes,
Laudis egēt veræ. Tibi quàquā & origo niteret,
Et felix species, multùmq; optanda maritis,
Ex Te major honos.

Statius.

ORATIO FUNEBRIS,

Ex Decreto Magnifici Domini RECTORIS, & Ordinum Academicorum Studij Generalis Almæ Vniversitatis Cracoviensis, DICTA.

FVnestus rerum pulcherrimarum exitus, non aliàs lamentabilis Orchestræ Scenam, & sævi monumenta doloris acerbiùs excitat in Orbe; quàm vbi clarissimis mundi Sideribus venit summa dies; & fatalis hora Serenissimos Principalis prærogativæ splendores, feralibus vmbris involvit. MAGNIFICE DNE RECTOR, MÆSTISSIMI ORDINES ACADEMICI, cæteriq́; , quos sincera pietas in consortium hodierni doloris invitavit, Vestris Titulis Dignissimi Auditores. Quanquam enim ad omnes homines lege naturæ pertinet, in hoc latissimo continuæ vicissitudinis circo, instar Metheori modicum in aëre fulgentis, & modò coronæ, modò profundæ cujusdam in cœlo voraginis speciem referentis; modò inanibus phasmatis, modò veris fulminibus ima terrarum percellentis; nunc erraticis Castoris Polluciśq; ignibus, nunc Cometis igne sanguineo prodigiale rubentibus, ad terrorem & lætitiam

humani generis collucentis, erigi, lucere, & breviter videri; neminis tamen propterea mortem juſtis lachrymis eſſe decorandam, quæ ceu naturæ debitum & culpæ ſupplicium, cum certo ordine cunctis veniat, omnia æquat: præcipuæ claritudinis ingens injuria eſt. Nam quoſdam mortalium, proxima Divorum honoribus poteſtas, heroicæ Stirpis celſitudo, Divinæ cujuſdam virtutis in opem ſalutem, & præſentem tutelam, tenuiorum ac imbecillium ſalutariter intendentis; hocq́; ipſo immortalitatem promeritæ, excellentia; adeo ſupra cæterorum ſortem attollunt, vulgoq́; eximunt; vt credibiliùs eſſe cenſeam: poſtquam Titan ſua ſidera condidit, altis de montibus vmbras non cadere, occaſuiq́; ſuo diem ſupereſſe; quàm in talium acerbo funere non dolere. Nempe beneficia quæ tribuit Fortuna potior ſubjectis, quantò plus gaudij præſtant capientibus, tantò acrioribus poſtea curis animos lacerant exagitantve; ſimul ac crudelis interventu Proſerpinæ, temporalis commercia vitæ deſerunt illi, qui prodeſſe in commune, rebuſq́; aliorum afflictis ſuccurrere tàm proprium habuerunt; quàm Princeps Planeta lucis dieiq́; ſator, poſt anxia noctium intervalla oriri & meliùs nitere. Minores cæleſtium flammarum fulgores, ſine ſenſu & ſolicitudine hominum erectos ad ſidera vultus tollentium, interdum errare, obſcurariq́;; iterumq́; lucere, extingui, iterumq́; accendi promiſcuè poſſunt; aſt publicum deficiētis Solis diſcrimen, Lunæq́; labores, trepidus ſemper & expectatione futurorum attonitus Orbis, inter ſpem metumq́; proſpectat. Simile quid in terris magno mentium ſolicitarum turbine agitur, quoties homines in excelſo vitam laudatiſſimam mortalibuſq́; fauſtam ac ſalutarem agentes; cogentibus fatis, hu-

mana

mana præclaris facinoribus ornare, & ſupplices fido Lare protegere deſinunt. Soror Tonantis Sarmatici, multorum rebus deſiderijſq; Jovem conciliare efficaciter, fulminaq; irati mitigare ſolita: Polonici cœli ſalutare & beneficum ſidus multos feciſſe felices, multorum caſibus & fortunæ interceſſiſſe, multis nova fata tribuiſſe abundè pollens, potenſve: laudandarum actionum & omnium virtutum principalium nitidiſſima Pharos, ingentium decorum Heroina, CATHARINA PRINCEPS RADIVILIA, in æternam clauſit ſua lumina noctem! Quis talia audiens, temperet à lachrymis! His equidem omnino paucioribus quàm ſua dignitas exigit, condita eſſe videretur; niſi ejus obitum Muſas etiam luxiſſe poſteri meminiſſent. Quarum mærore nihil ſincerius & perennius nihil, cùm maſculam Divinioris animi vim, & nihil omnino femineum præter nomen gerant; ab infirmo deſiderio & muliebribus lamentis procul remotæ, ad contemplationem magnarum Virtutum totæ vertuntur. Ergo rude vulgus, & plerumq; ad inferias bonorum Principum convitia, in ipſos Superos jaculari audens, inania morti tributa det lachrymas! quibus cùm nihil citius areſcat, eruditorum ſepijs calamiſq; indignæ ſunt: perpetua immortalis animi decora, æternamq; virtutum formam perennibus literarum monumentis conſignare; ille demum conveniens Muſis dolor eſt. Hoc eruditæ pietatis extremum in Principes obſequium (quod Victori olim Gentium terrarumq; populo Illuſtrium Virorum fæminarumq; laudes, inter Parentales lachrymas olim permiſcenti uſitatum; Muſæ Latinæ caſtra Polona ſecutæ, in Orbem Hyperboreum bene & feliciter invexerunt:) cuinam hoc tempore dignius juſtiuſq; impendere ſolicitæ o-

peræ pretium est, quàm illi PRINCIPI Heroinæ, quæ immortalibus totius integerrimæ vitæ operibus, cœlo & æternitati laboravit: cujus Regiæ Domus Augustum Gentile decus, CLYPEUS non tantum fortium Virorum armatura & tegmen adamantinum; etiam Jagellonicæ Palladis hereditarium SCUTUM, hoc est Avitum præsidium est. Vtinam verò mihi hodie quem publicum doloris Vestri indicem esse voluistis, pro lugentibus verbis, aureos illos imbres cœlum sufficeret; quos nascente Minerva, Rhodiis Jovem indulsisse ferunt; sanè pretiosam lachrymarum vicem, magnis optimæ Principis manibus redderet, fluens sicut ros & concrescens sicut pluvia eloquium meum: liqueretq; palam Orbi, qualis & quantæ virtutis laudatio instituitur. Quam si ab Avitis Cognatisq; splendoribus incipio, toto cœlo obrui videor: ita in ejus gloriam, omnia principalis dignitatis celsissima ornamenta conspirârunt. Paterni Materniq; vtriusq; Augusti & Sarmatis faustissimi sanguinis Purpura, cum in Summis semper Regni Poloniæ Magistratibus fulsisset; hodie Regale Solium & Diadema in SERENISSIMO & POTENTISSIMO JOANNE III. Poloniarum REGE gloriosissimè exornat. Cujus rerum gestarum magnitudinem intuentibus, credere licet: tantum Regem rebus Polonis in margine fatorum nutantibus, divinitùs esse provisum; vt eas internis dissidijs distractas, & prope perditas salubriter componeret: ab hostibus vndiq; lacessitas & attritas tueretur, reficeret & conservaret: adeòq; Christianæ felicitatis interest pro diuturno ejus Imperio, & prosperâ valetudine, solennia vota nuncupare; qui hac tempestate Romanam solus salvavit & restituit rem, Domini Exercituum REX & JMPERATOR. Cuncta terrarum serenan-

tis isti-

tis iſtius Phæbi cariſſima Soror, modò candida Phæbe, & Sereniſſimæ Domûs Regiæ lux maxima, & jam magni luminis vmbra: maximæ Principis, Cinis exiguus, ſed auguſtus: ingentis animæ triſtes exuviæ, ſed triumphales, deflentur. Verumtamen acta illius illuſtria lugere, intempeſtivæ ſolicitudinis artificium eſt; fauſta potius recordatione, & temporalibus laudibus colentur. Romana Junia magnorum titulis inſignis Avorum, Catone Avunculo genita, Marci Bruti Soror, Caj Caſſij Vxor, maximo Scriptori laudatur: quod funus ejus laudatione pro roſtris, cæteriſq; funeris ſolennibus cohoneſtaretur; in pompa funebri, antelatæ viginti Clariſſimarum Familiarum imagines, vetuſtæ nobilitatis inſignia, ſed præfulgebant Caſſius atq; Brutus, eo ipſo, quòd effigies eorum non viſebantur. O ſi nunc tam felix ingenium, & Romani majeſtas eloquij, Celſitudini defunctæ Principis contigiſſet! profectò, toto ordine faſtorum, magnificentiùs exurgeret oratio! Celſiſſimis Nominibus DUCUM OSTROGIORUM, & ZASŁAVIORUM, RADIVILIORUM, VISNIOVECIORUM, ZOŁKIEVIORUM, LUBOMIERSCIORUM, ZAMOYSCIORUM, ſuper alta Deorum culmina, & extructos ſpolijs hoſtilibus arcus, legi ſolitis, laus vera niteret! quam ſibi cum his coniunctiſſimam, jure ſanguinis vel tædarum fædere, mortua Princeps affirmat. Hos inter celſioris dignitatis apices, maiore ſereno & genuinis Coniugalis fidei amoriſq; imaginibus præniterent, Ducales Mitræ, & Imperatoriæ Prætextæ, ſplendidiſſima pacis belliq; monimenta, inſignium in Rempublicam Polonam meritorum præclara ſpecimina ULADISLAI DOMINICI Ducis in Oſtróg & Zasław; & MICHAELIS CASIMIRI RADIVILLI, S. R. I. PRINCIPIS, Ducis in Ołyka, & Nieswieſz, ex

quorum dulci & fortunato vitæ toriq; consortio, dignam tantis Heroibus Sobolem, Celsissimæ vtriusq; Familiæ maximum incrementum, Polonæ Lithuanæq; Gentis, grande decus & præsidium, reliquit. At verò, immensa hæc splendorum amplitudo, vt mei mediocritatem ingenij longè excedit; ita Defunctæ PRINCIPIS veras laudes non absolvit. Speciosa hæc tantùm, & sæpe ex vano fulgentia evanidæ gloriæ Simulacra, brevia popularis auræ esse spiramenta; illa reputans: prosperam sui memoriam, & solidum decus in virtute æterni conscia Numinis, situm esse constituit: quæ sola homines cùm Superis æquat; & postquam hos ab oculis mortalium natura amolita est, secunda fama super æthera vehit: cælo dignos, & sinceriore post hac cultu in terris venerandos. Qui soli perpetuò manent vllis infracti casibus, Cardinalium virtutum adamantes, quàm omni lapide pretioso gemmisq; prævalentibus pulchriùs, in Ducali ejus MITRA & animo Divinorum studiosissimo radiant; mortemq; ejus, ex natura omnibus æqualem, secernunt populo! tristes nænias exhilarant, funebrem noctem serenant; præsto est, in laudanda eius gesta, cogitationem mittentibus. Divinum prudentiæ genium, sine cuius solerti moderamine, nulla vnquam suis quæsita est gloria rebus, in præsentia, præterita & futura, mille micantibus margaritis, quas Deorum oculos Dictator Cæsar appellavit, apprimè prospicientem; quis spectavit & non admiratus est? in regendo, è decoro publico privatove, geminas Principes domos viduas, Ducalium splendorum fæcundas: in promovendo magnificentissimè, ad maiores fortunæ honores, illustria ingenia summis rebus gerendis idonea, & bono publico salutaria; in bene faciendo, non minùs liberaliter, quàm

scien-

ſcienter maiora plerumq; miſeris & egentibus largientis, quàm à Dijs petuntur: vim æquè beneficam ac magnificam, in ædes Divorum de novo ſtruendas, exercentis; vel inhoata eiuſmodi opera, ſplendidiſſimo ſumptu ſtructuriſq; eximiis conſumantis: in conſiliorum momentis feliciſſima, quibus, extra muliebre vitium ambitionem, omnia regere, omnibus ſe curiosè ingerere, multa dicere affectantem; negotia virorum & curas maſculas viduata tædis, ſueverat expedire. Rarum fortitudinis in ſexu fragili pretium, non tantùm priſci ſeculi fortium Heroinarum miracula æquans; magnanimorum etiam Heroum æmulum, cælitùs ei cum ſangvine Heroico fuiſſe conceſſum; tam decumanæ publicorum malorum procellæ, cruenti fortunæ ludi; quàm lugenda Coniugum, flebiliora cariſſimorum magnæ ſpei pignorum funera evincunt. Videlicet, non privatæ ſortis fæmina, aſt non vno nomine ad bona malaq; publica pertinens Princeps; vix aliquantùm publico mœrori, aut Materno Maritaliq; dolori indulgens, ſæva hæc vulnera fortiter pertulit; tanquàm eminentiſſimo ſupra fortuita caſuſq; infeſtos animo, continuas in peius rerum Polonarum ſuarumq; vertigines ita deſpiceret; ut beatá ſemper ſerenitate renidens, nubes deſpectat Olympus. An non legem Oppiam contra luxum in ornatu muliebrē publicè privatimq; pernicioſum, ſine Catonis edicto, dandos eſſe frenos impotenti mulierum naturæ, & indomito animali apud Gentem Romuleam contendentis, raro in magna fortuna exemplo aſſeruit? dignum Cæſare Augusto effatum; *veſtitum mollem & delicatum, ſuperbiæ vexillum eſſe nidumq; luxuriæ:* in laudem ſuam traducens: cultu modica, animo verecunda: nihil in ſermone, in vultu inceſſuq;, ad iactantiam & oſtentationem fingens,

maiestate venerabilis: vt dictis factisq; suis vndiquaq; veritas constaret, nihil procax aut fæmineum obtruderetur, maximè providens: voluptates etiam ex permisso non alias admittens, nisi quæ ex virtute & gloria procedunt. Itura in templum, vix mediocrem simplicemq; ornatum gravitati studens, corpori adhibuit; ne vel immodico cultu Divinæ Maiestatis oculos offenderet, vel curiosam aliorum pupillam in se pelliceret; verùm vt attentiore ad Divina animo, Deo devotissimè loqueretur, & inter Angelicos Choros, tremendis Missæ Sacrificiis modestissimè interesset. Hoc singularis temperantiæ encomium, quàm longe à moribus diversum fæmineis, quàm alienum à cogitatione earum, quæ mundo muliebri intentæ, inter mundicias immundas & anxium ornandi corporis studium, optimam vitæ partem deperdunt; instigante Comico, *dum molliuntur dum comuntur annus est*: magis solicitæ de capitis decore, quàm mentis honestate. Laudatos iustitiæ actus, mira animi in omnes svavitate, ne in rigorem desinerent, compescens; & lenimine clementiæ in subditos temperans: pati quàm facere in- iniuriam, promptior: nobile vlciscendi genus in more positum habuit PRINCEPS Nostra, iniurias oblivisci. Cæterum ritus Sacrorũ perperàm & non pro dignitate cultos, in omnibus severâ reprehensione exagitabat: quippe ipsa sanctimoniæ & pietati, veris iustitiæ pignoribus totum pectus mentemq; suam devoverat. Consecratæ pietatis exempla, Sacras Historias, vitasque Sanctorum assiduo legere; magnis pretiis typo mandare, ex peregrino idiomate in vernaculum, alienâ industriâ convertere, magni meriti negotium arbitrata, vt tantopere pijs intendens exercitiis; cælestibus excelsam mentem cogitationibus imbueret. Mortem,

cuius

cuius metus, ventri gulæq; deditos exanimat; familiarem sibi fecerat; ita assidua in eius meditatione; vt frequens in contemplatione Dominicæ Passionis: quasi hanc viam, ad vitam recogitans: secura cæli viveret, & moreretur victura. Ita verò, iam extrema vitæ stamina Parcæ legunt! quidni mea in latebras Divini amoris, cum Principe moritura oratio secedat? dicam clariùs, quod scire decorum, & imitari gloriosum. quoties luctuoso occasu, Sol iustitiæ maculosum humani generis & exitiale nefas aboliturus, posuerat tenebras latibulum suum in sepulchro; ferales eidem in ferias annuo dolore instaurante Sanctâ Ecclesiâ; toties in monumento, ne externam laudem quærere videretur, delituisse & à die mortis Domini, in oratione permansisse, vsq; ad Resurrectionis gloriam, Princeps devotissima, præcipuum sibi dixerat Sacramentum. En sinceræ pietatis ingenium; en simplex columba in caverna maceriæ, in foramine petræ, hoc vnum suspirans & lugens; vt in novissima luce, nihil oculi sui desiderarent præter JESUM! Benè habet, iam Supremum diem desideriumq; humanum expletura, triste ministerium vltimò exposcit; sed nobis Reiq;-publicæ tàm excellenti bono spoliatis, male est; nisi boni faventesq; Superi, vota quæ moriendo conceperat, in Serenissimo Nomine Tuo & Regia Progenie summæ spei coronamento ritè secundant: POTENTISSIME & INVICTISSIME REX JOANNES III. nimirum, vt Sol Regiæ eminentiæ, qui ad contritionem barbararum Gentium; & ad PoloniChristianiq; Nominis protectionem, supra CLYPEUM Tuum triumphalem prospero Numine resplenduit, perpetuum Sceptrorum fulgorē, in SERENISSIMA Domo Tua continuet; donec auferatur Luna, testis in Cælo fidelis

Tuorum

Tuorum in genus humanum immortalium merito-
rum. Quamvis ingentis animi, nec ſævo inæſtimabi-
lis damni vulnere, nimiùm concidentis, ſpeciem vul-
tu præferas, tamen altum non premere mente Filia-
li dolorem nonpotes, ILLUSTRISSIME & CELSI-
SSIME S. R. I. PRINCEPS CAROLE STANISLAE
RADZIWIL, Dux in Ołyka & Nieswieſz M. D.
Lithvaniæ PROCANCELLARIE, iam Te extremo dul-
ciſſimæ Parentis ſolatio patrocinioq; deſerente. Ergo
in levamentum mæroris, Maternum boni-conſule
votum: vt evolans in cælum, è fatali rogo, magnæ ba-
iula animæ, Gentilitia Tua AQVILA, triſti perfuncta
obſequio, CLYPEOQVE donata Materno; ad Avi-
ta Paternaq; decora, & ſummæ gloriæ incrementa,
Tibi prævolet auſpicatiùs, quàm olim Tonanti, con-
tra Titaniam pubem, ad triumphos. Vehementer
Te quoq; fato ſuo indoluiſſe, intelligens, ILLUSTRIS-
SIMA & CELSISSIMA PRINCEPS THEOPHILA
LUDOVICA Dux in Oſtrog & Zasław, COMES in
Wisnic & Iarosław LUBOMIRSCIA, Curiæ Regni
MARESCHALLA: idcirco Maternam benedictionem
recentis ſolamen mali impertijt; vt tenerrimi cordolij
Tui amaritudinem, temperent flumina nectaris, quo
ad debitam generi Tuo Heroiciſq; virtutibus immor-
talitatem, diu ſoſpes & felix mortalibus, proficias. Ad-
extremum Illuſtriſſima Lechæi Litaviq; Cæli Sidera,
Politici Senaculi animata columina, totumq; ſplendo-
rem Equeſtrem, magnis animis, ſalutaribus conſilijs,
& factis fortibus æternùm valere comprecata: vix
ſpiritum cæleſtium contemplatorem cælo reddidit,
vnde ſortita erat; fit magnus vbiq; luctus, & in vnius
magni luminis occaſu, plurima mortis imago obver-
ſari viſa: ex immenſo nobilium lachrymarum ruit O-
ceano

ceano nox: publicam ſerenitatem triſti nubilo inumbrans: magnarum virtutum jactura, ingeminat luctum, tum ſingulorum, tum vniverſorum. Quas mehercule luxiſſe fæminis, quæ ejuſmodi morum caruère bonis, honeſtũ eſt; aſt Muſis meminiſſe. Perennis verò earum memoriæ artifex, quis? vmbrarum alumnus, meus meiq; ſimilium ſermo, qui nuper in SERENISSIMO felicitatis & lætitiæ publicæ MERIDIE, lætioris obſequij vmbram cum feciſſet, hodie acerba vice funeris, argumento funebri concolor, ante meridiem, velut *feræ nuntius horæ nocturna vocat lumina veſper:* hoc eſt ex claro æternoq; nitentibus virtutum heroicarũ fulgoribus, pullã togam atramq; veſtem affingit. Illa tamen quandoquidem innocentium Muſarum genuina textura eſt, duratura in ævum; Academicæ pietati ſerviat iu tutelam: pijs optimæ Principis manibus, ad gloriam valeat immortalem.

DIXI.

INSCRIPTIO
SEPVLCHRALIS,
D. PRINCIPI
CATHARINÆ RADIVILIÆ,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS,

IOANNIS TERTII,

POLONIARVM REGIS,

MAGNI DUCIS LITHVANIÆ, RUSSIÆ,
PRUSSIÆ, MASOVIÆ, &c. &c.

UNICÆ SORORI,

VLADISLAI DOMINICI, DUCIS
In Ostrog & Zasław, Palatini Cracovien: &c.
Primorum:

MICHAELIS CASIMIRI, S. R. I. PRINCIPIS,
In Nieswiesz & Ołyka DUCIS RADIVILI,
MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ PROCANCELLARII,
ET EXERCITUUM CAMPIDUCTORIS,
Secundorum Votorum

AUGUSTÆ CONSORTI.

CELSISSIMORUM DUCUM,

ALEXANDRI IN OSTROG & ZASŁAW,
NICOLAI & GEORGII IN Nieswiesz & Ołyka,
RADIVILIORUM,
HEROICI SANGVINIS GEMMARUM,
HEU VICES HUMANAS!
invidiâ fatorum, præcociter bono Orbis Poloni ereptarum,
&

THEOPHILÆ LUDOVICÆ in Ostrog & Zasław
DEMETRII olim KORYBUTH,
DUCIS In Wisniowiec & Zbaraz,
CASTELLANI CRACOVIENSIS, SUPREMI EXERCITUUM REGNI
PRÆFECTI: Nunc

NUNC
JOSEPHI LUBOMIRSCII, S.R.I. PRINCIPIS,
CURIÆ REGNI MARESCHALCI, &c.
FELICISSIMÆ CONSORTIS:
AC
CAROLI STANISLAI, S.R.I. PRINCIPIS,
IN NIESWIESZ & OLYKA DUCIS,
R A D I V I L I,
Magni Ducatûs Lithvaniæ Procancellarii,
AVGVSTÆ PARENTI.
In ſufferendis, invictâ animi fortitudine,
toties repetitis ſuorum funeribus
HEROIDI LACÆNÆ.
In formandâ bono publico,
Magnarum Prolium ſuarum juventâ,
CORNELIÆ Grachorum.
IN PIETATIS EXERCENDIS OFFICIIS
ERGA DEUM ET PROXIMUM,
PAVLÆ ROMANÆ.
Quam in lectione Sacrorum Librorum,
auſcultatione Scripturarum,
& myſteriorum altaris enixâ,
In Peregrinatione ad Sacra Loca,
imprimis imitari voluit:
& poſt viſitata SS. Apoſtolorum Limina,
non ſolùm voto ad Sepulchrum Domini comitata eſt;
ſed etiam reapſe aſſecuta:
dum per triduum Mortis Domini
CUM MARIA AD OSTIUM MONUMENTI,
quotannis pervigil ſtetit:

Nec priùs inde, quàm ſurgente Domino declinavit.

OB CONSECRATAM CHRISTO CRUCIFIXO,
IN TESTEM AMORIS INEXTINCTI,
LAMPADEM IN VAVELO IGNIS PERPETUI:

Ob Baſilicam & Cœnobium, Regiâ munificentiâ
à fundamentis BIALÆ erectum:
ob Summam plusquàm Centum Millium
extremis tabulis,
egentium ſubſidio adſcriptam,

DIVÆ, PIÆ, FELICI.
Inſigni prudentiâ, juſtitiâ, Religionis zelo,
admirandâ morum comitate
poſteris in exemplum DATÆ.

Omnibus in Europa Auguſtiſſimis Familijs,
IN SERENISSIMA NEPTE SUA,
TERESIA, POLONIARVM PRINCIPE,

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI,
MAXIMILIANO EMANVELI,
UTRIUSQVE BAVARIÆ DUCI,
S.R.I PRINCIPI & ELECTORI, &c. &c.

Fortunatiſſimè nuptâ,
ADAVCTÆ
&
IMMORTALI.

PANE-

PANEGYRIS PARENTALIS.

ODE.

SOror Tonantis! fulguris arbitra,
Et Mater, altæ Lucis amantior,
Regumq; Magnorum Ducumq;,
Grande jubar, Lechici doloris

Singultus, & vox triſtior omnibus!
Si Te futuri gloria ſeculi,
Altiſque circumſtant tiaris
Exuviæ; Superum trophæis

Adjunge famam prole ſuperſtitem,
REGISq; SCVTVM: ſic iterum novo
Splendore fulgebis, perennem
Sideribus referesq; Lucem.

Side-

SIdera, quæ nuper festivis ignibus Orbem,
In Lechiæ sociata polo, tenuêre patentem;
Quæ medium fecêre diem, quæ vota Gradivi,
Et pacis messem moderârunt fœdere Regum:
Nunc umbris depicta, torũ splendoribus altũ
Distingvunt; interq; faces, obscura relucent;
Et tenebras, taciti pro majestate nitoris,
In tristem sumpsêre modum. Nam Regius ordo
Lugubrem indutus pompam, componit ituros,
Exemplo Regni Proceres, totumq; Senatum
Flectit in insvetos fasces, & fata doloris.
Non aliter, quàm si radiis solaribus obstat
Orbis conjuncti facies, lucisq; receptæ
In recto conspecta gradu velamina pandit.
Hoc ego phænomenon grato si videro vultu,
Aut umbram tantæ Lucis si scripsero metris;
Sol Patriæ & Rector, Regũ Lux magna Ioannes!
Regali in CLYPEO firmâs splendoribus omnẽ
Europæ molem, simul & qui lumina condis;
Ac obitum, tristi germanæ Principis umbrâ,
Ipse, Parentali celebras in Syrmate; tantæ
Lucis Tu mihi vis, Tu Spiritus entheus esto.
Augustos meminisse dies, portentaq; rerum
Sculpere, si propriâ fas est aliquãdo sub umbrâ,
Aut populi natale solum, post sidera ferre

Si li-

Si licuit Superis metam plâudentibus ultra;
Inſolitæ ſemper ſortes, & fata propinqua,
Prodigiis cæli miſcent poſt gaudia luctum,
Alternis reditura choris. Si jura Deorum
Inſpicias; Idam Thetidem, & jurgia Circi,
Et Cybelen, feſtumq; Iovis, ludoſq; Gradivi,
Et rigidam Nioben & flentem Troiada finges;
Et Romæ ingentem rerum miraberis umbram.
An latuêre dies aliqui, ſub ſole ſereno
Indutinebulas? aut ſi conjunctio ſupra
Sidereos remeare gradus cōſveverat unquam,
Vt non ferales faceret per ſidera ſcenas,
Et nova formaret nobis ſpectacula rerum?
Nam cælum gignit tenebras, & lumina noctis;
Et dulcē Cereris meſſem exſpoliantur acerbæ
Excubiæ Martis. Sic gaudia plena doloris,
Poſt hilares animos, obſcurus temperat ordo.
Phœbus ſi ludit ſtellas ſplendore coruſcas,
Et vocat in ſummi celeres faſtigia curſûs;
Tunc, magis ut niteant, nodis circumvehit axē,
Ft tenebris obſcurat eoſdem, imitatus Apellē.
Hic etenim pingens formam ſpeciemq; Dianæ,
Ad nitidæ exemplar frontis, vultumq; decorū,
Vmbram, purpureis miſcet labriſq; geniſq;,
Ac albam faciem nigris ſplendoribus ornat.

Porrô hodie similẽ scenã miramur in umbra;
Quam Lechiæ & Sponsæ pinxerũt Fata doloris:
Non equidẽ his tenebris Princeps ut pulchrior (iret
In trabeas fascesq; Ducis Soliũq; paratum
Nam satis augustã meritûm splendore Ioannis,
Et propriâ insignem famâ deprædicat Orbis:
Ast ut sub tantis astrorum cursibus, una
Præ reliquis niteat, sorte hac quã fata secundãt,
Scilicet augustis nuper connubia tædis
Magnorũ fulsére Deûm; Lechicasq; per urbes
Fulgor ab attonitâ plaudentis Sede Tonantis
Emicuit: festo & dum nos splendore beârat,
In tristem demum flexit sors altera vultum;
Et Sponsos, Regisq; thronũ, Proceresq; priores,
Atq; Ducũ trabeas crebris circũdedit umbris.
Hanc tristẽ sed enim põpã, Soror alta Tonãtis,
Fecisti Princeps! Lechiæ, Lithavasq; per oras
Inclyta Dux, quatuor primis stipata Tiaris,
Vmbram sideribus præfers, mœstãq; cupressũ,
Pandis in augustos Sponsos pro margine lucis:
Fatorum quando votis numerisq; reductum
Vitæ ferali clausisti funere cursum. (na lucis
Ille inquam splendor, quem Aquilæ post fulmi-
Inspexère, novâ rerum morumq; retortâ
Pupillâ, & celebres imitatæ sorte curules;

Quem

Quem fasti semper Martis vidére calentem;
Nunc tristem ludens scenam, multũq; probatis
Succubuit fatis, & amat pro lumine luctum.
Quid Princeps! alti demum si culmina cæli,
Ingressa es meritûm famâ; si forte petebant
Te supra sortem, magnis virtutibus astra;
Ecclipsare Tuas trabeas, quod debuit unquam
Sidus, & in tristes umbras deflectere lucem?
Promeritum nisi Virtutis culmenq; decusque,
Ac dignas animi dotes, splendore vetusto,
Ipsa velis Superis ipsis, æquare per omnes
Ritè hominũ cursus! nisi magnis clarior astris,
Purpureis Regum cupias lucere theatris.
Sic etenim certis voluisti occumbere fatis;
Vt nostro voto, nunquam feralia mortis,
In luctum, aut tristis geminares funera pompæ.
Te tamen ut Craciis cum Musis tristis Apollo,
Hîc etiam Augustam, tristẽ veneratur ad urnam;
Sic & pro meritûm famâ, ceu Numen avitum,
Ingenio memori ad seros cupit ire Nepotes.
Huc spectatis enim, Divo cum Nomine Manes;
Quæ Iagellonios ornastis sangvine fasces,
Ac Orbem totum, cognato lumine Regum,
In CLYPEUM, Lechiæ Decus ac Ancile tulistis.
Huc inquam sacri Manes; ubi Lechica Pallas,

Nominibus Regum decretos pangit honores;
Vt poſt Vavelli Sacrorum munia, ritum
Parnaſſi memori capiatis pignore famæ.
Principum enim melius circũſtat funera nemo
Munere, quam Pallas triſtis, ſeu juſtius unquam
Nemo dolet calamo, quã Leſbi urbes & Athenæ,
Te verò ô Princeps! Cracius Pareaſſus & Orbis,
Hoc poſuère gradu & votis; ut publica honores
Quamvis fortunæ & vitæ ſors ipſa negâſſet;
Te tamen officio per tot monumenta Vaveli
Portarent, & decretis celebrare Camænis
Vellent, & tumulum pulchris ornare trophæis.
In Te virtutes etenim ſic æſtimat orbis,
Tẽporis ut tacitâ nequeant latitare ſub umbrâ.
Ingens nam Te multarum prudentia rerum
Maturâ ſenſûs praxi circumdedit, atque
Morem ultra ſexûs, comitata eſt maſcula virtus
Illâ inquã pompâ! ut qui Te conſpexerit unquã,
Palladis exemplar dixiſſet ab ore Quirino
Et pietas, commune bonum, virtutis in auge,
Sic Te præclaro complexa eſt munere; primos
Vt faſces inter Divûm, Tuus Vmbo niteret,
Atq; novis feſto clareret nomine templis.
Hæc, Latio, Princeps, celebrẽ Te, reddidit orbi,
Tantæ & mirari fecit virtutis honorem;
In Patriâ quẽ dum fugeres; vehementius extra

Acciperes; & pro plaudentis carmine vulgi,
Romanas laudes Vrbis pangentis haberes.
Sic pietas magnis comitata monilibus, ultra
In Te, monſtravit morum, velut agmine læto,
Inſignes animi dotes; quas purpura Regum
Ambiret pretio, primæ Trabeæq; Ducales;
Quas pulchro voti ceperunt quærere nexu:
Vt ſic majorum fierent ſocialibus armis,
Evectæ in thalamũ Tecũ, ſors magna trophæũ
Hoc pretium virtutis erat, quod pignore vitæ
Dotibus in tantis famæ, Dux ſanxit in Oſtrog;
Vt CLYPEO natale ſuum decus, atq; tiaras,
Et ſeriem Regum, Grajoſq; in ſanguine faſces,
Obſequio thalami coniungeret; vtq; perenni
Viveret in rerum factis famâq; IOANNIS.
Hinc Te, pars Lechiæ moderantẽ jura probavit,
Quæ nunc tota dolet; magni ſed pignus amoris
In geminâ thalami Te PRINCEPS prole beavit.
Heres primus erat, terris edicta daturus,
Et Lechiæ laturus opem, regnare probatus;
Quem faſces petiêre vltra; ſed vocibus iſthinc
Gaudia dũ cecinêre moras: tũc funus acerbum
Infauſtumq; ſuis trusêre penatibus vmbræ.
Altera DUX, magnæ Matris compendia famæ
Felix poſſedit, clavas, trabeaſq; paternas
In Sidus KORIBUTH cõſcripſit voto Hymenæi

Et Quæ, tot Regū tetigit monumenta priorum;
Sangvinis Ipsa sui facta est speciosa coronis.
Auspicijs iterum stabat Regalibus alter
Connubij nexus, quē Aquilæ cecinêre per orbē
Augustis Atavûm Lituis Magni RADIVILI:
Hoc pariter thalamo PRINCEPS,
tria Lumina Fratrum,
Magnanimos enixa Duces, oracula Regis
In Lithavûm solio ad legē revocare potentes.
Sed cúm Tu PRINCEPS, totū cōpleveris orbē
Virtutum famâ, Superis mirantibus ipsis;
Quò magis vlterius thalami decorare vacātē
Astrorum sedem geminis Ducibus voluisti.
Pulcher honos etenim, fatorum sorte beari
Et terræ simul ac astris duo lumina linqui.
Quid sævā Lachesim, quid tristē dicimꝰ umbrā
Mortis? vbi legem fatorum, jure perenni,
Credimus eventu certam! nisi forte probatos
Principibus cessisse dies doleamus acerbo
Vulnere, speratosq; diu incusemus honores.
Plebeium est rerum sortes & fata dolere:
Mirari mortem, consvetum & nobile vulgo.
Magnorum verò laus est in margine vitæ;
Splendida celatis conscribere gesta trophæis.
Fortè vt posteritas similes imitetur honores;
Aut ad magnarum virtutum exempla feratur.

Si mæstā querimur nunc tanti Nominis vmbrā;
Si tristes vitæ spectamus ab ordine fasces
Principis, aut tumulo adstamus si fortè dolore:
Nonne novis Procerū famulātia cernim9 arma
Prodigijs stare; ac veterem, graviore paratu
Ad legem gentis, morem redijsse fatemur!
Nōne Ducis, magnæ virtutis munera, pulchro
Ornatu morum ferali in marmore fulgent?
Vt similem vitæ cursum mirantibus, inde
Mens surgat, Patriæ tantas imitata curules.
Nam si justitiam narrem, si publica vota,
Aut morum decus, aut tacitæ pietatis in omnes
Munera sparsa probos homines; si tēpora vitæ
Enumerem; nonne hæc irritamenta bonorū
Accendunt operum, præclaris nomina gestis.
Tecum virtutes sumpsêre exordia, Princeps;
Tecū nobilius splendebat purpura Regis;
Vt Quam, tot trabeis iunxit cognata potestas;
Nunc etiam vitæ pulchris splendoribus, inter
Tot Procerū tenebras, clarâ veneremur in vrna
Tu nobis Princeps! visi sub imagine fati,
Vitæ felicis sortem virtute probasti;
Nam profers nobis alternæ Nomina lucis,
Et geminas solito Regum pro more dolorem.
Ergo si Lechicum studium cum Pallade tristi
Augustos Manes vestros, Trabeasq; ducales

Circumſtât, celebratq́; ſuo ſi munere ritûs:
Vos etiam condant inter tot ſidera Regum
Eloquio memori, & faſtis decorẽtq́; ſepulchrũ.
Vt cùm ceſſeritis, fatis ſic ſtantibus, Vrbi
Huîc, in prodigium luctûs; ſic luce perenni
Virtutũ ac famæ, totum decoretis & orbem.
Iam verò Regum fortiſſime, maxima gentis
Gloria Lechiadũ, Thracij domitorq́; Tyranni,
Qui tenebras Lunæ, domuiſti luce triumphi,
Ac orbem terræ miro ſplendore beâſti,
In tot prodigijs belli; Qui nuper ſidera mundi
In ſphæram Lechiæ ſociali ſorte vocâſti;
Aſt hodie mandas nobis in funere luctum.
Si ſacros Cineres ſublatæ lucis in vmbrâ
Relliquias cenſes; vitæ ſolatia ſume
Hoc memori eloquio: quo Te venerata Parẽtẽ
Eſt auguſta Soror; magnûm geſtiſq́; Maritûm,
Æternum ſibi Roma decus pro munere dixit.
Te, REX Magne, quidẽ cupiũt laudare triũphis
Ipſi etiam Superi; monſtrant immenſaq́; vati,
Signa per inſvetos curſus; ſed lætius ô REX
Tempus erit, cúm laurigero, Tua fortior œſtro
Facta canet, referetq́; ſimul tot Scuta trophæũ.
Nunc autem cùm Te circũſtant fata Sororis,
Et lu-

Et luctus gentis Craciæ; ſis ſplendor,& umbrā
Majeſtate, Ducis fulgenti Luce corona.
Tu pariter Lechiæ MATER, REGINA, Saluſq́;
Fortunæ noſtræ, magni Sors maxima REGIS,
Auguſtos recrea Manes ſplendore venuſto,
Ut,quæ virtutum mirata es munera quondam
Principis, Exſequias Regali luce ſerenes.
REGIA, Vos tandē Soboles Jovis alma Poloni,
Ad Faſces Lechiæ, meritis famâq́; vocande
PRINCEPS JACOBE, Europæ muniminaRegum
In CLYPEO celata ferens; Teq́; unica Martis
Gloria, ALEXANDER, Te CŌSTANTINE Poloni
Orbis Deliciæ; poſt funera non morituri
Unquā reſpectant Cineres; ut Lumine Veſtro
Virtutum vivū Speculum, decoretis in ævum.
TE quoq́; Lechiadum Phœnix, Bavaræ atq́; Polonæ
Præſidium Gentis, pacis ſors alta futuræ;
Luctum Parnaſsi modera ſolamine feſti,
Orbis quod totus ſpecioſo munere lucis
Ingeminat, votiſq́; cupit celebrare ſecundis.
Sic vivent Manes, claraq́; ſuperſtite Prole
Auguſtam referent etiam poſt funera Lucem.

PIETAS
SVPREMI OBSEQVII.

AFfundo publicis lacrymis, Suprema doloris
Munera mêi proprij: vivus & immorior
Augustis, quæ Tu PRINCEPS erepta reliquisti
Exuvijs; solâ hâc parte beatus ego.
Quòd quondam geminis Lithavi Lechiciq; Trionis
Summis Sideribus, Te genitrice satis,
Primos fruge Cleantheâ imbui & explicui ortus,
Poloni in facie, judicioq; Jovis.
Occidit heu primum! quo non fulgentius ullum,
Moribus, ingenio, secla videre queant.
Alterius faustos progressus, Lucis in auge,
Quominus inspiceres; Tu quoq; Magna Parens
Occidis! infandum mœsto renovasq; dolorem,
Qui gladio pectus lancinat ancipiti.
Quod superest igitur mihi, quodvé probata requirit
Supremum pietas, Officijq; vigor;
TE Patrio elatam CLYPEO, OSTROGIâq; sub umbris
LUNA splendentem, ceu sine nocte diem.
Feraliq; rogo Alitibus RADIVILLANIS
Sublatam, summo compositamq; Polo
Ponè sequor, Lauroq; nitenti, fronte cupressos
Præfero squallentes, ad Tua Busta dolens,
Osculor & Cineres, superest mihi de quibus vnus
Phænix, exhibiti pars prior officij.
Qui verò augustis Virtutibus ivit in astra
Spiritus, æternâ vt luce fruatur ovans
Imprecor! haud dedignatus pietatis, ab alto
Hoc quantumcunq; est aspicere obsequium.

M. SEBASTIANUS PISKORSKI, V. J. Doctor & Professor, CANONICUS Cracovień: Almæ Vniversitatis Studij Generalis Crac: Procancellarius & RECTOR.